

expendat, et quas aut revocatas, aut falsas, et apocryphas esse deprehenderit, ne Fideles illarum assequendarum spe decipiantur, palam detegat atque prohibeat.

Cum itaque Sac. Congregationi delatum fuerit, in libello quodam Veronae impresso anno 1711, cui titulus « *Breve Notizia del santo Abitino che si dispensa da' PP. Teatini ad onore dell' Immacolata Concezione di Maria Vergine in virtù d'un Breve Apostolico di Clemente X, confermato con altro del Regnante Sommo Pontefice in data delli 12 Maggio 1710 con le Indulgenze proprie e dell' aggregazione alla loro Religione etc.* plurimas Indulgentias falsas contineri, veluti a Summis Pontificibus concessa, aut quoquomodo communicatas, gestantibus scapulare parvum coerulei coloris, quod vocant Conceptionis Beatissimae Virginis Immaculatae. Ideo re mature perpensa die 22 Februarii 1712 declaravit nullas alias Indulgentias pro gestatione praedicti scapularis acquiri nisi illas, quas SS. Dominus Noster litteris in forma Brevis desuper editis die 12 Martii anno 1710 clementer concessit his verbis. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quibus scapularia benedicta hujusmodi; ut praeferetur, in posterum distribuentur, die, quo illa primum susceperint, si vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; nec non eisdem in cujuslibet eorum mortis articulo si etiam vere poenitentes et confessi et S. Communionem refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu, ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, itidem Plenariam; Ac ipsis pariter vere poenitentibus et confessis, ac eadem S. Communionem refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictae Congregationis, vel Cappellam, sive Oratorium die festo ejusdem Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae a primis Vesperis usque ad Occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum etc. preces effuderint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper praedictis Christifidelibus etiam vere poenitentibus et

confessis, etc. S. Communionem refectis Ecclesiam, vel Cappellam seu Oratorium hujusmodi in aliis ejusdem B. Mariae Virginis festis diebus, ut praefertur visitantibus, et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentibus in forma Ecclesiae consueta relaxamus etc.

Cumque pariter Sac. Congregationi innotuerit in alio libello Bononiae impresso anno 1707, qui inscribitur « *Sacro Diario delle Grazie e Indulgenze concesse alla Compagnia della Cintura detta di S. Agostino, e di S. Monica etc.* » multas pro Cincturatis referri Indulgentias, quarum aliquae, aut revocatae aut falsae omnino sunt. Ideo Sac. eadem Congregatio praedicta die 22 Februarii 1712 similiter declaravit, Cincturatos nullas alias Indulgentias pro gestatione Cincturae lucrari posse, nisi illas, quae expresse continentur in Brevis a Sac. M. Clemente X desuper edito, quod incipit « *Ex injuncto Nobis coelitus etc.* » dato die 27 Martii 1675.

Et ut omnis in posterum erroris, ac deceptionis occasio auferatur, districte prohibuit, ne aliae Indulgentiae voce aut scripto publicentur pro gestatione supramemorati parvi Scapularis, aut praedictae Cincturae, praeter eas, quae in supradictis Brevis Sanctissimi Domini Nostri Clementis XI, et S. M. Clementis X respective continentur. Ac insuper recensitos libellos, alterum Veronae, alterum Bononiae impressum proscribendos censuit, sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis.

Quibus per me Secretarium Sanctissimo Domino relatis, Sanctitas Sua Sac. Congregationis Sententiam approbavit, et in omnibus servari jussit. Datum die 24 Februarii 1712.

F. THOMAS MA: CARD. S. CLEMENTIS.
Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

XXXIV.

ORDINIS FRATRUM CAPPUCINORUM.

1.^m *An in omnibus Ecclesiis Fratrum Cappuccinorum Indulgentia Plenaria pro festis diebus Sanctorum Paschalis Baylon et Joannis a Capistrano concedi debeat? et quatenus affirmative.*

2.^m *An petita Indulgentia perpetua vel solum ad septennium concedenda sit?*

Sac. Congregatio diei 25 Septembris 1713 respondit

Ad 1.^m Affirmative.

Ad 2.^m Concedendam esse Indulgentiam Plenariam perpetuam.

XXXV.

FERRARIEN.

An Tunica S. Catharinae de Bononia in Conventu Monialium Sanctissimi Corporis Christi Civitatis Ferrarien. asservata in earum Ecclesia exponi et in solemnibus Supplicatione gestari possit?

Sac. Congregatio diei 25 Septembris 1713 respondit — Quoad Processionem « Nihil »; in reliquis « Ad Dominum Episcopum. »

XXXVI.

Sanctissimus Dominus Noster audito voto Sac. Congregationis Indulgentiarum et Sac. Reliquiarum praepositae, praevia revocatione omnium Indulgentiarum quomodolibet concessarum Coronis, quas vocant S. Birgittae, salvis tamen Indulgentiis iisdem Coronis concessis a S. M. Clemente X 6 idus Julii 1675, concessit recitantibus quotidie per integrum annum praedictam Coronam S. Birgittae, dummodo sit saltem quinque decadum, Indulgentiam Plenariam cum facultate etiam applicandi Defunctis. Facta insuper declaratione quod Superiores dumtaxat Monasteriorum Ordinis S. Birgittae, seu Religiosi ejusdem Ordinis, qui fuerint ab illis specialiter ad id deputati, habeant facultatem supradictas Coronas benedicendi. Ita Sac. Congregatio diei 5 Septembris 1714.

XXXVII.

An cuncta Monasteria Monialium, quae nunquam sub gubernio Superiorum sui Ordinis fuere, iisdem Indulgentiis fruuntur, quibus gaudent Moniales, quae actu degunt, vel saltem

aliquando existere sub immediata jurisdictione Superiorum Regularium sui Ordinis?

Respondetur « Supplicandum Sanctissimo pro declaratione, quod Moniales cujuscumque Ordinis Regularis, quamvis actu non degeant nec umquam existierint, sub gubernio Regularium gaudeant omnibus Indulgentiis, quibus fruuntur coeterae Moniales, quae sub gubernio Fratrum sui Ordinis exstant; et quatenus opus sit pro nova concessione earundem Indulgentiarum. » Ita Sac. Congregatio diei 30 Martii 1716.

XXXVIII.

In Sac. Congregatione Indulgentiarum, Sacrisque Reliquiis praeposita habita die 28 Aprilis labentis anni 1716 relatis precibus P. Joannis a S. Francisco Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae humiliter postulantis declarari « *An Sodales Confraternitatum sui Ordinis loco Scapularii, quod plerique gestare solent, exiguum panni albi frustulum, cui parvula Crux rubri et coerulei coloris acu intexta est vesti assutum deferentes lucrari valeant Indulgentias concessas iis qui Scapularium deferunt?* » Eminentissimi Patres declararunt « Non lucrari ». Datum die 29 Aprilis 1716.

L. CARD. PICUS PRAEF.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

XXXIX.

Ne contra veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem Indulgentiarum numero nimis aucto, Ecclesiastica disciplina enervetur, saepius in Brevibus apponi consuevit clausula illa « *Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit praesentes litterae nullae sint.* » Cum autem alias pro ejusdem clausulae explicatione supplicatum fuerit, Sac. Congregatio Indulgentiarum, Sacrisque Reliquiis praeposita declaravit « *ea nullatenus compre-*

hendi Altaria privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias, aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitatibus, Regularibus, et Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias aliasque hujusmodi recitantibus, ac iis, qui Christiana Doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, et qui Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti expositione cum oratione quadraginta horarum intersunt neque Stationum Urbis et septem Altarium Indulgentias ad instar septem Altarium Basilicae Vaticanae concessas, neque demum, quae pro unica vice conceduntur. Coeterum si alia Indulgentia sive Plenaria sive non Plenaria in perpetuum vel ad tempus, tum ab eodem tum ab alio Romano Pontifice generatim Christianifidelibus Ecclesiam vel aliquod ejus Altare, seu Cappellam visitantibus eodem die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apostolicis mentio, has Litteras ob dictam clausulam esse prorsus irritas ac nullas » ut expresse habetur in Decreto ab eadem Sac. Congregatione desuper edito die 23 Junii anni 1676. Postea tamen eidem Sac. Congregationi delatum fuit non paucos esse, qui praedictum Decretum non recte intelligentes sibi suadent, quod si in aliqua Ecclesia jam concessae reperiantur Indulgentiae, quae pro Feriis Sextis mensis Martii dari solent, et postea in eadem Ecclesia alia Indulgentia concedatur cum appositione in Brevi supra memoratae clausulae « *Volumus autem etc.* », Indulgentia quae postremo loco data est valida sit, quapropter ut omnis in posterum erroris occasio auferatur, eadem Sac. Congregatio habita die 18 Aprilis anni 1716 declaravit Indulgentiam ultimo loco ita concessam ob saepe dictam clausulam « *Volumus autem etc.* » Litteris Apostolicis insertam, esse nullam. Datum die 11 Septembris 1716.

L. CARD. PICUS PRAEF.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

XL.

1.^o An Benefactores Ordinis S. Augustini gaudentes aggregatione per affiliationem ejusdem Ordinis, et Confratres Cinctu-

rati, etsi non dicant quinque Pater et Ave, participant omnes et singulas Indulgentias, aliaque bona spiritualia Ordinis S. Augustini?

2.^o An visitatio Altarium suppleri possit a Confratribus in aliena Ecclesia, praecipue quando sunt in locis, in quibus non est Ecclesia Ordinis S. Augustini, aut non est erecta Confraternitas Cincturatorum, et an Principes in Ecclesia Aulica lucrari possint Indulgentias visitationis Altarium?

3.^o An sufficiat Cingulum quomodocumque deferre?

4.^o An per communicationem privilegiorum et gratiarum, cum Ordine S. Augustini, et cum aliis Ordinibus Cincturati participant omnia opera bona totius militantis Ecclesiae?

Sac. Congregatio diei 22 Februarii 1717 respondit

Ad 1.^m Benefactores gaudentes affiliatione Ordinis S. Augustini participes esse bonorum operum, quae fiunt in eodem Ordine, etsi quinque Pater et Ave non recitent, et Confratres non gaudere Indulgentiis nisi recitent quinque Pater et Ave.

Ad 2.^m Negative.

Ad 3.^m Negative.

Ad 4.^m Quemlibet Fidelem existentem in gratia participare de bonis operibus Militantis Ecclesiae.

XLI.

ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM CONGREGATIONIS
WINDESIMENSIS.

An Ecclesiae Canoniorum et Canonissarum Congregationis Windesimensis ubicumque existentes participes sint omnium Indulgentiarum, quibus gaudet Congregatio Canoniorum Lateranensium?

Sac. Congregatio diei 14 Februarii respondit « Affirmative. »

XLII.

1.^o An quando in Brevibus legitur « Quoties Ecclesiam visitaverint vel quid simile » plures Plenariae Indulgentiae eandem Ecclesiam uno die visitando acquiri possit?

2.^o *An idem dicendum sit, si non solum in Brevibus legatur « Quoties visitaverint », sed etiam addatur toties Indulgentiam consequantur?*

Sac. Congregatio respondit sub eadem die « Ad mentem, et mens est, quod nihil desuper statuatur. »

XLIII.

Decet Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositam, Indulgentias aut revocatas, aut falsas, aut apocryphas detegere atque prohibere, ut quae verae sunt a Fidelibus dignoscantur, et circumspicere, ut omnis in re tam sacra turpis quaestus eliminetur.

Mature itaque perpense Summario quodam Indulgentiarum, quod inscribitur « *Breve Sommario delle principali Grazie, e Indulgenze concesse ai Religiosi dell'Ordine della Santissima Trinità della Redenzione de' Schiavi Cristiani: delle quali godono tutti quelli che portano lo Scapulario ovvero Abitino, e visiteranno le Chiese o Cappelle di detto Ordine, le quali Indulgenze sono state approvate da' Sommi Pontefici e di nuovo dalla fel. mem. di Papa Innocenzo XII, come si vede nella Bolla spedita l'anno 1693* » impresso Neapolis anno 1716, in quo Summario, nedum quam plurimae Indulgentiae falsae continentur, verum etiam contra Apostolica Decreta pro earundem Indulgentiarum assecutione pecuniae solutio praescribitur. Sacra eadem Congregatio die 20 Decembris anni 1718 dicti Summarii Neapolis ut supra impressi, vel denuo ubicumque imprimendi usum interdixit, illudque prohibuit sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis. Insuper declarando, nullis aliis Indulgentiis frui posse Confraternitates erectas, seu in posterum erigendas sub titulo Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, nisi illis quae habentur in Summario alias Romae impresso, et ab eadem Sacra Congregatione approbato die 31 Januarii 1675.

Quibus per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatis Sanctitas Sua Sententiam Sac. Congregationis approbavit.

Datum die 22 Decembris 1718.

J. D. CARD. PARACIANUS

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

XLIV.

Cum Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, re mature perpensa, deprehenderit, nonnullas Indulgentias, falsas, apocryphas aut ab Apostolica Sede revocatas contineri in libello impresso per Carolum Josephum Astorinum anno 1712 Papiæ et Laude Pompeja, cui titulus « *Compendio della Regola del Terz' Ordine de' Penitenti del Serafico Padre S. Francesco confermata da Papa Niccolò IV nuovamente per comodità dei Terziarii e Terziarie che oggidì si trovano sotto la protezione del medesimo S. Padre, ristampato ad istanza dei Fratelli e Sorelle di detto Ordine eretto nell'Insigne Chiesa di S. Francesco di questa Città di Lodi, con l'aggiunta d'una breve Notizia dell'Indulgenze, Favori e Privilegi più cospicui concessi da' Sommi Pontefici a quest'Ordine etc.* » et in quodam Summario Indulgentiarum edito Ulysipone anno 1681 typis Antonii Craesbech de Melo, quod inscribitur « *Summario do Thesauero Celestial das Indulgencias, gracas, facultades et privilegios concedidos per muytos Romanos Pontifices ao Sagrado, et Apostolico Hospital de Santo Spirito em Saxia da Cidade de Roma confirmadas ora novamente pelo Sanctissimo Papa Gregorio XIII nosso Senhor: as quaes se concedem pelos Comissarios Collectores Deputados por este Sancto Officio a todes et cadehum dos Fieis Christaos, que quizerem entrar na Santissima Confraria da Casa et Hospital de nossa Senhora da Victoria desta Citade de Lisboa* ». Eadem Sacra Congregatio die 29 Januarii anni 1720 censuit libellum supra enunciatum, prædictumque Summarium prohiberi, illorumque usum interdicti debere sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis.

Quam Sac. Congregationis Sententiam per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relata, Sanctitas Sua approbavit die 31 ejusdem mensis. Datum die 14 Februarii 1720.

J. D. CARD. PARACIANUS

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

XLV.

Ad tollendos nonnullos abusos, qui in expediendis litteris patentibus aggregationum Archiconfraternitatibus Almae Urbis retroactis temporibus irrepserant, Sac. Congregatio Indulgentiarum Decreto edito die 5 Martii 1608 approbante S. M. Paulo V statuit atque decrevit, ut pro expeditione praedictarum litterarum aggregationum, seu potius pro expensis desuper faciendis, nempe pro pergamenis, scriptura, sigillo, capsulis, cordulis, cera, Secretarii, Notarii que labore, vel mercede, aliisque omnibus quibuscumque nihil omnino ultra scutum unum aureum pro singula aggregatione, institutione, vel confirmatione quovis praetextu, aut colore etiam merae eleemosynae exigi, aut recipi valeat, sub poena ipso facto incurrenda nullitatis aggregationis, omniumque Indulgentiarum, et spiritualium gratiarum in aggregationibus contentarum, cum privatione etiam facultatis aggregandi, et privatione pariter Officiorum, et inhabilitate ad eadem Officia in posterum obtinenda pro Ministris, Superioribus, Officialibus, aliisque contra praedictum Decretum facere praesumentibus; quae a nullo alio, nisi a Romano Pontifice pro tempore existente remitti valeat, aliisque etiam sub gravioribus poenis, arbitrio ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis imponendis. Ne autem longo temporis decursu praedicti Decreti oblivio induci, ac denuo abusus irrepere possint, Sacra Congregatio Indulgentiarum, Sacrisque Reliquiis praeposita habita die 9 Aprilis 1720 decrevit, atque mandavit singulis Ordinibus, Religionibus, Institutis, et Archiconfraternitatibus, eorumque Superioribus, Ministris, atque Officialibus quocumque nomine nuncupatis, ut pro expediendis litteris patentibus aggregationum, seu potius pro illarum expensis quibuscumque nihil ultra unum scutum aureum

sub quovis praetextu, aut quaesito colore, etiam a sponte dantibus, aut titulo eleemosynae recipere audeant, aut recipi permittant sub iisdem poenis contentis in supra memorato Decreto edito die 6 Martii 1608, ne Confraternitates aggregandae sumptibus nimium graventur, et ut omnes intelligant, coelestes Ecclesiae Thesaurus non quaestus aut alicujus lucri causa, sed ad pietatem Fidelium excitandam ex Apostolicae Sedis benignitate aperiri. Quibus per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Clementi XI relatis, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Decretum approbavit, et in omnibus executioni mandari jussit.

Datum die 10 Aprilis 1720.

J. D. CARD. PARACIANUS

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

XLVI.

SOCIETATIS JESU

Ad humillimas preces Aloisii Fortis Societatis Jesu Praepositi Generalis Sanctissimus D. N. benigne annuens eidem ac Vicario Generali, tum cum ejusdem vices fecerit, facultatem impertitus est aggregandi Confraternitates sub titulo Bonae Mortis; Eisdemque sic aggregatis et canonice erectis, omnes et singulas Indulgentias a Praedecessoribus suis Pontificibus huic primariae Congregationi Urbis sub eodem titulo Bonae Mortis in Ecclesia Jesu, de qua in precibus existen. concessas communicandi facultatem pariter elargitus est. Non obstantibus in contrarium etc. Praesenti in perpetuum valituro. Datum etc.

Die 6 Februarii 1721.

XLVII.

Nuper Sacrae Congregationi Indulgentiarum, Sacrisque Reliquiis praeposita delatum fuit, passim evulgari Summarium quoddam Indulgentiarum Germanico idiomate conscriptum, quod latine versum incipit « *Indulgentiae, quae concessae fuerunt a San. mem. Sixto V, Urbano VIII, Innocentio X, Alexandro VII, Clemente IX super Coronis, Crucibus, factis Hierosolymis, et*

Bethlem denuo confirmatae a Summis Pontificibus Clemente X et Innocentio XI die 11 Junii anni 1670 etc. » impressum Augustae ab Joanne Michaelae Labhort anno 1720.

Cum autem in dicto Summario nonnullas Indulgentias falsas, aut apocryphas aut ab Apostolica Sede revocatas contineri deprehensum fuerit; ideo ne Fideles decipiantur eadem Sac. Congregatio habita die 11 Martii 1721 praedicti Summarii Augustae impressi, vel denuo ubicumque imprimendi usum interdixit, illudque prohibuit sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis, declarando, gestantes Cruces, et Coronas, quas San. mem. Innocentius XI Litteris in forma Brevis emanatis die 28 Januarii anni 1688 praedicta gestantibus, et pia opera in eodem Brevi praescripta devote peragentibus concessit.

Insuper cum eidem Sacrae Congregationi pariter delatum fuerit nonnullos turpis lucri cupidos, non sine magno Fidelium scandalo praedictas Cruces et Coronas publice vendere, aut mercibus commutare ausu temerario non erubescere; Ideo districte prohibuit, ne in posterum aut publice, aut secreto vendantur, vel quomodocumque commutentur; addita etiam declaratione, quod non transeant personam illorum, quibus prima vice distribuuntur, et quod neque commodari, aut praecario dari possint, et quod aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari altera non valeat. Quod si secus fiat saepedictae Cruces et Coronae careant Indulgentiis jam concessis.

Cum etiam Sacrae Congregationi Indulgentiarum innotuerit, evulgatum fuisse alterum Summarium Indulgentiarum Germanico pariter idiomate conscriptum absque loco editionis, et nomine impressoris, cujus initium latine redditum est « *Indulgentiae quae Crucibus Caravaccensibus concessae fuerunt a Romanis Pontificibus Pio V, Gregorio XV et Clemente X, denuo confirmatae ab Innocentio XII* » Et incipit « *Pro Consolatione Christifidelium et S. Crucis Amatorum* » In quo multae Indulgentiae apocryphae et falsae deprehensae fuerunt. Eadem Sacra Congregatio dicti Summarii impressionem et usum sub iisdem poenis in Indice librorum prohibitorum contentis interdixit.

Quibus omnibus per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XIII relatis die 4 mensis Junii, Sanctitas Sua Sententiam Sac. Congregationis approbavit, et in omnibus executioni mandari jussit. Datum Romae die 5 ejusdem mensis anni 1721.

L. CARD. PICUS PRAEFECTUS

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

XLVIII.

ROMANA

An praeter scutum aureum pro litteris aggregationis, Archiconfraternitas percipere possit etiam intortitum a Procuratore Archiconfraternitatis aggregandae in actu admissionis?
Sac. Congregatio diei 11 Maii 1722 respondit « In Decretis ».

XLIX.

AUGUSTANA

An non obstante quod nomen S. Simpertii in Martyrologio Romano non reperiatur, Indulgentiae perpetuae Confraternitati erectae sub titulo S. Simpertii concedi debeant?

Sac. Congregatio diei 14 Decembris 1722 respondit « Negative ».

L.

AUGUSTANA

An non obstante Decreto (die 5 Junii 1721 cum quo Sacra haec Congregatio districte prohibuit ne Cruces et Coronae quae Loca Terrae Sanctae et Sacras Reliquias ibi existentes tetigere, in posterum publice aut secreto vendantur), danda sit facultas supradictas Cruces et Coronas vendendi?

Sac. Congregatio sub eadem die respondit « Negative ».

LI.

CONGREGATIONIS MONACHORUM EREMITARUM S. HIERONYMI

LOMBARDIAE

An in cunctis Ecclesiis Congregationis Monachorum Eremitarum S. Hieronymi Lombardia nuncupatorum Indulgentia